Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift



infirmi saluantur & mortui resuscitantur. Solus dia
bolus & omnia cum eo demonia contremiscunt. quia restau
ratur genus hominum per interitum diaboli. Xpc uobis hodie re
demptor apparuit. probat uirtutem dni ordo nascentis.
Concepit uirgo. uirilis ignara consortii. Impletur uterus.
nullo libatus amplexu. Spm scm castus uenter excepit. in
nocens corpus egessit gloriosa uirginitas & preclara fecundi
tas. Uirtus mundi nascitur. & nullus est gemitus parturien
tis. Uacuatur uterus. infans excipitur. nec tamen uirginitas
uiolatur. Fas erat ut dno nascente cresceret castitas. nec per
eius ad uentum uiolaretur integritas. quia uenerat sanare cor
rupta. Ds ab anglis prodit & agnus pastoribus demonstratur.
Nulla parienti marie & humanitatis officiositate solatia.
Stat honore felicior maria & matrem se letam cognoscit que
se nescit uxorem. sed infantis genus feta miratur. Spm scm sus
cepisse congaudet. nec que peperit innupta terretur. sed
que genuerit confisa letatur. Ergo magna credimus. que
magna uirtute generantur. Recte in eius aduentu celestia
ueneramur quem de celo uenisse cognoscimus. quem creatum di
patris & spc sci uirtute comperimus. ut firmaretur trinitas
in utero castitatis. Que est uirgo tam sca. nisi ista per quam ue
nire ds dignatus est. Que tam speciosa. ut dm querat
sponsum. Que tam fortis. ut tantam possit generare
uirtutem. Que tam casta ut sit uirgo post partum.
Nonne in figuram marie habitum uidimus ecclesie. Nec parit